





Q.K.125,26.

Ye  
1302

ELEGIA  
DE STELLA PRODI-  
GIOSA, QVÆ INTERDIX-  
COELO SERENO APPARVIT VI.  
*nariæ in Duriugia 28. Martij, anno 1566.*  
*Cui adiunctum est.*

EPITAPHIVM  
JLLVSTRISSIMI PRIN-  
CIPIS VVOLFGANGI  
*Anbaldini &c.*

*Autore*  
M. FRIDERICO VVIDE,  
BRANDO.

WIT EBERGÆ  
EXCVDEBAT LAUREN-  
tius Schwenck.

1566.



BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA



JLLVSTRISSIMIS PRIN-  
CIPIBVS AC DOMINIS, DOMINO  
ERNESTO & BERNHARDO Fratribus, Principibus in An-  
halt, Comitibus Ascaniæ, & Dominis Bernburgi & Ser-  
uestæ, Dominis suis clementissimis.

**S**irpis Anhaldinæ duo fulcra nouissima fratres,  
Ascanis antiqua posteritate sati.  
**S**igna propinquantem patriæ minitantia cladem  
Omnibus aspicerem cum manifesta locis:  
**F**ama Ducis pariter V Wolfgangi nuncia mortem  
Omine pœnarum plena minace tulit.  
**I**ngemui signumq; recens en aspice, dixi,  
Quod monet à foribus non procul esse malum.  
**G**rande bonus Princeps & inenarrabile donum,  
Triste, bonus princeps cum cadit, omen habet.  
**E**rgò recrudescent quæ vestra prioribus annis  
Morte tot Heroum est vulnera passa domus.  
**Q**uando patrem, patruosq; duos fratremq; propinquis  
Funeribus nimium mors properata tulit.  
**H**æc ita dum mæstus Soraborum fata dolebam,  
Sollicita reputans mente futura mala:  
**F**ortè nouus cœli sub eodem tempore terror  
Incidit eiusdem congrua caussa metus.  
**S**tella diurna poli, qualis sub funere Caij  
Cæsar is in medio fulsit aperta die.  
**H**ic ubi Tyrigetum stagnantes sanguine fossas  
Attonitis quondam viderat Ilmus aquis.

A 2

Cum

*Cum gladios alibi sub ijsdem penè diebus  
Misnia vidisset sæpè vibrare polum.  
Hæc cum visa palam memori dignissima uersu  
A patria deceat posteritate legi:  
Scripta pijs numeris pietati consecro vestræ,  
Temporis & patrij pro ratione status.  
Nam quia pars olim vestræ ditionis & hospes,  
Nomine quo vobis debeo multa, fui.  
Cum Seruesta pio Ciuem complexa fauore  
Hospita tres annos officiosa tulit.  
Hæc documenta simul grati dare pectoris absens  
Hanc volui istius temporis esse notam.  
Ut, qua parte queam, vestri testatus amorem,  
Nunc quanti faciam nomina vestra, probem.  
Et quia sceptræ semel patriæ totius adepti  
Ascaniam regitis non sine laude domum:  
Gratuler ut vobis fortunæ munera tantæ,  
Vtq; Dei nutus sint diuturna, precer.  
Ille det, ut quantus pietate Georgius, armis  
VVolfgangus, pacis spe Ioachimus erat.  
Tampietas vobis, tam sit Respublica curæ,  
Vnde reportetis Marte togaq; decus.*

*Vestræ Celsitud.*

*addictiss.*

*Fridericus VVidebran-  
dus Professor in Academ-  
mia Lenensi.*

ELEGIA  
DE STELLA PRODIGIO:  
SA, QVÆ INTER DIV SVDO COE-  
lo conspecta est Vinariae in Duri<sup>g</sup>ia.

**Q**Vinta Calendarum mensis lucebat Aprilis  
Quarta sed à Martis mense relicta, dies.  
Cum noua prodigijs species feralis ad Ilmum,  
Mæsta per Oenagoræ mœnia, visa fuit.  
Tendere declivi Sol vertice ceperat umbras,  
Horaq; iam dederat prima peracta sonum.  
Ecce die medio clara sine nubibus æthra,  
Sydera cum Solis fulgere tecta latent:  
Stella minax subita cum luce refusit ad Arcton,  
Astra sub obscura qualia nocte micant.  
Vicinamq; notans Eōo cardine Lunam  
Eius in aspectum est spargere visa iubar.  
Quando nouum primo lumen quadrante resumens  
Lugubre promebat dimidiata caput.  
Cornuaq; auertens auerso lurida Phœbo  
Visa noua sensim crescere luce fuit.  
Substitit ad cœnam quatuor sic stella per horas,  
In tenebras donec conderet aëta facem:  
Et caput Hesperias Phœbo mergente sub vndas,  
Erraret vacuo Cynthia sola polo.

A 3

Quid

*Quid natura parat tantis præpostera monstris,  
    Ordinis & toties immemor ordo sui ?  
An quia stertentes in aperto lumine Verbi  
    Conniuere (malum) lumina cœca iuuat ?  
An quia Iustitiae fulgentem cernere Solem  
    Et monstrata diu tela cauere piget :  
Insolita specie quod oporteat insuper astra  
    Orta die medio lucis obire vicem.  
Et veluti muto præconum munere functa,  
    Quæ maneat mundum pœna futura , loqui ?  
Si quid adhuc homines humani in carne gerentes  
    Admoniti mentes ad meliora vocent.  
Si quis in amplexum stringentis fulmen adictum  
    Ire Deo supplex, dum queat ire, velit.  
Ardua res agitur, quoties sub Sole diurno  
    Stella, modo quali prodij ista, micat.  
Ante quidem cineres combusti Martyris Husi  
    Astra tenebrosus promxit aperta dies.  
Ut pauidæ denso volucres ex aëre lapsæ  
    Præcipites cœlo deijcerentur humi.  
Caussa sed in promtu , cur tecto corpore Solis  
    Inde minus lumen conspiceretur, erat.  
Quod flagrat accensum sub funere sydus Iuli,  
    Caussa dari, fiat quaratione, nequit.  
Sensit at euentum crudelis cœde suorum  
    Cæsaris Augusti Roma subacta iugo,*

*Cum*

Cum notat insolito surgentem tempore stellam  
Ante fores Christum iudicat esse Magus.  
Difficile est tantis censuram affingere signis,  
Ferre tamen rebus non aliena, pium.  
Forsitan hæc redditum denunciat altera Christi,  
Prævia nascenti ceu prior illa fuit.  
Nunciet hoc vtinam, quòd meta peracta malorum  
Et propè nunc instet iudicis hora Dei.  
Denotat ista quidem, sed longè tristius omen,  
Iure quod attentamente notetur, habet.  
Atq; vtinam sensum non tam res ipsa loquatur,  
Quàm liquidis signant rem simulachra typis.  
Dimidiam referunt insignia Turcica Lunam,  
Culta quòd antiquis gentibus illa fuit.  
Hanc notat Europæ minitantem stella sub Arcto,  
Protinus Eōis appropereare plagis.  
Sumentemq; nouis progressibus incrementa  
Tollere paulatim plenius orbe caput.  
Abdita lux donec dispareat integra verbi,  
Et tenebris claudat vespera sera diem.  
Ergò ferox iterum Scythicis Solimannus ab oris,  
Ille potens Christi nominis hostis, adest.  
Mole recens summa bellum crudele retexens  
Qualibus haud vsus viribus antè fuit.  
Millia quem peditum decies centena sequuntur,  
Tartaricoq; frequens milite stipat eques.

Sternitur

Sternitur innumeris miratus classibus Ister,  
Machina Turcarum quid sibi tanta velit.  
Sternitur, & tanto consternitur agmine tellus,  
Cuius ad incessum regna, Ducesq; tremunt.  
Quacunq; ingreditur strictis exercitus armis,  
Cuncta rapax proni fluminis instar agit.  
Hæc est illa minax blasphemæ bestia cornu,  
Fulminat in Sanctos quo truculenta Dei.  
Quæ quanto reliquis animalibus altior exit,  
Tam rabie frendens asperiore furit.  
Omnia comminuens rabido insatiabilis ore,  
Terribiliq; terens obvia quæq; pede.  
Crimina quippe vomens in nomen atrocia Christi  
Non ipsi dubitat bella mouere Deo.  
Ebria quæ toties iustorum sanguine, nunquam  
Humana saturat cæde cruenta sitim.  
Cuius auaritiæ spacioſus deficit orbis,  
Terra nec Imperij sufficit vna satis.  
Dum cumulat regnis tot regna, tot vrbibus vrbes  
Nescia regnandi ferre libido modum.  
Magnus Alexandri terrarum terror in orbe,  
Magnus item terris terror Iulus erat.  
Quod veluti celeres missæ per inane sagittæ  
Omnia sternebant impete prona suo.  
Iura sed hi belli victores salua colebant,  
Et veniæ victis spes rata semper erat.

Ferret

Ferret ut in pœnis discrimin sexus & ætas,  
Sanaq, Iustitiae cederet ira locum.  
Ne bellum imbelli vel inermibus arma nocerent,  
Pace sed imposta poneret illa furor.  
Instaurata nouas donec Respublica leges  
Et certum caperent regna quieta statum.  
Hei mihi non tales hodie pugnamus in hostes,  
Sperari victis ut queat ylla salus.  
Fatale ætatis postremæ Turca flagellum  
Cuncta latrocinij, nil ratione gerit.  
Qui semel immani Furiarum concitus æstro  
Omnibus exitium, cum parat arma, parat.  
Atq profana sacra confundens, sacra profanis,  
Omnia flagitijs barbarieq replet.  
Et quæ multa dolent ipsa magis aspera morte,  
In misera cogit cernere prole patres.  
Quam nisi suffixam palis exponat in agro,  
Siue minutatim dissecet en se latro :  
Corporis ob speciem turpes mercator ad usus,  
Ad cumulandarum lucra reseruat opum.  
Auulsamq Deo pro religione parentum  
Impia Magmedo vota dicare docet.  
Quin patriam contra puerilibus imbuit armis,  
Quæ quondam in proprium stringat adulta genus.  
Cum captiua Sion olim Babylonis ad vndas  
A Solymis exul cederet acta sacris:

B

Vna



*Vna tamen miseræ concessa leuatio luctus,  
Vt dolor abductis mitior esset, erat.  
Exiliij Comites caros habuisse propinquos  
Cognatasq; pari sede videre domos.  
Cum medios inter priuata parentibus hostes  
Libera doctrinæ copia semper erat.  
Vt pius alloquijs usus præsentis amici  
Vt lacrymis curas sæpe leuaret amor.  
Turca sed agnatos longinquis distrahit oris,  
Vt coëant nunquam, quos rapit ille semel.  
Mutua sic queritur diuertia coniugis vxor,  
Natorum queritur vincula capta parens.  
Vita quibus grauior dilectis orba propinquis,  
Quam pariter cæsos protinus ense mori.  
Et quæ lingua satis rabiem memorauerit hostis  
Furta, minas, fraudes, scommata, stupra, necesse  
Græcia testatur, testatur id Africa tellus,  
Exemplis Asiæ vix domus vlla caret.  
Quæ celebres olim florebant legibus urbes,  
Et sedem studijs hospitiumq; dabant.  
Nunc scelerum latebræ, nunc sunt stabula alta latronum,  
Vnde procul pietas exulat atq; fides.  
Has pater Hiltenius clades, hæc fata minatus  
Prædixit dudum Teutona terra tibi.  
Secula complevit cum sex millesimus annus,  
Ex quo nempe Deus tempore homo est natus.*

*Terra*



Terra quod Italiae iam tum Germanaque regna  
Imperij Turcam sint habitura caput.  
Qui si vera prius, ceu dixit plurima Vates,  
Censuramque simul temporis huius agis:  
Iam iam principium tantae prostatre ruinæ  
In promtu caussas, cur verear is habes.  
Scire cupis, hominum circumspice mores,  
Atque status rerum qui sit in orbe, nota.  
Ille quidem tristis nimium, plenusque laborum,  
Summa mali species cui prope nulla deest.  
Quem pia mens sana secum ratione reuoluens,  
Ingemit, & lacrymis parcere mestia nequit.  
Nam quæ religio, quæ mundum cura sacrorum,  
Seruiat ut Christo non simulata, manet?  
Sedis Apostolicæ titulo dum vasta superbit  
Nominis infelix emula Roma Petri:  
Longius à verbo digressa tuetur abusus,  
Grataque vult magicis ritibus esse Deo.  
Interea ferro flammisque in proxima sævit  
Templa, caput Christum non venerata Papam.  
Quis sibi victrices ad Turcica derogat arma,  
Sanguine ni nostro lauerit ante, manus.  
Altera pars odijs ciuibus æstuat intus,  
Sub specie zeli quodlibet ausa scelus.  
Pabula cui rixæ, cui sunt obsonia lites,  
Cui ne quidem salua pax pietate placet.

B 2

Cui

Cui tantum volupe est lingua mordere, sibique  
    Detecta alterius querere labe decus.  
Externis risum socijsque faceſſere fletum,  
    Cœcutire domi, cuncta videre foris.  
Talia dum cernit doctorum scandalum mundus,  
    Vertitur ex misera religione iocus.  
Gutturē quam pleno ventosus Hypocrita ruſtans  
    Crīmina ſub Christi nomine cuncta tegit.  
Et crepidas ultra ceſuram futor adeptus  
    Intus opus fabricæ negligit ipſe ſuæ.  
Efferā ſic quiduis impunè licentia tentat,  
    Contentis pariter legibus atque Deo.  
Seu gressus Regum aut populi vestigia luſtres,  
    Ordinis errantes ſunt utriusque viæ.  
Plectere qui debent, committunt crīmina primi,  
    Aut conniuendo diſſimulata probant.  
Iuraque pro libito figunt & fixa refigunt,  
    Qui ſibi, quæ libeant, cuncta licere putant.  
Hinc lacrymis plenas vulgi ſine fine querelas  
    Pauperis in Dominos angulus omnis habet.  
Votaque cum Diris cœli penetrantia nubes,  
    Subdita plebs nimio pondere preſſa gemit.  
Nec tamen ad fontem tantorum cœca malorum  
    Reſpiciens, cauſas tollere prima ſtudet.  
Sed mala priuatis cumulans quoque publica pœnias,  
    Pertexit reprobis moribus omne ſcelus.

Spurca

*Spurca libidinibus, temeraria, prodiga luxu,  
Inuida, plena dolis, omnis auara lucri.  
Nulla fides socijs, dilectio nulla propinquis,  
Quisq; premens alios proximus ipse sibi est.  
Quid moror in patribus? quæ disciplina Iuuentæ est?  
Quò ruit in cunctos, prob dolor, illa dies?  
Nam velut elisa cum calce repagula frangit,  
Excudit aut collo frena rebellis equus.  
Cæcus & indomitus per aperta, per inuia raptus  
Rura per & valles, per iuga celsa ruit.  
Donec in exitium, nullo remorante, furenter  
Escopulo tandem præcipitatus eat:  
Sic furit effrenis legum pertæsa iuuentus,  
Atq; iugi impatiens omne recusat onus.  
Sublimeſq; gerens elato vertice cristas,  
Cuncta ferè pedibus iura minasq; terit.  
Cæca licet, semper tamen aspera recta monenti,  
Arbitrio cupiens esse relicta suo.  
Cui pudor ingenuus pudor est, reuerentia probrum,  
Perfrictaq; semel fronte, pudere pudet.  
Sic vaga delitijs sic difflit ebria luxu  
In primoq; statim fracta vigore perit.  
Ergò nihil miseris, nisi quod miserabile, restat  
Ergò status omnis spes melioris abit.  
Scilicet ad pœnas mundi maturuit ætas,  
Et nihil excidio est certius ante fores.*

B 3

Quod

Quod si præsidij quid forte locamus in armis,  
Ceu reprimi nostro robore Turca queat:  
Hei mihi, quam virtus nunc languida prorsus eorum est,  
Quorum militiæ nomine fama viget?  
Germani fuimus, patriæ stetit inclita gentis  
Quæ stetit antiquis gloria, lapsa iacet.  
Quid blasphema tonans rabidus conuicia miles,  
Quod fortuna, Deus quod bene vertat, agat?  
Qui quos iussus erat defendere, deuorat armis,  
Hospes & in socios sænior hoste furit.  
Si quis adhuc veteri superest è sanguine paucis  
Masculus & belli promptus ad arma vigor:  
Hunc male deformat vellabes reproba morum  
Quælædens alios exitiosa sibi est:  
Aut male confertur bellis ciuilibus intus,  
Spontè nocens proprijs viribus ipse sibi,  
Mutua Germanos sic dum laniena fatigat,  
Nullaq; stat socio fædere sancta fides:  
Sed quæ ferre foris coniuncta decebat in hostem,  
In sua connertunt viscera tela Duces:  
Concidit ægra suis Germania viribus vltro,  
Pestis & interitus maxima caussa sibi.  
Restat, vt exesam carie penitusq; labantem  
Eruat impulso pondere Turca domum.  
Spretaq; iam toties euentu signa probata  
Cælestes doceant robur habere minas.

Ni

Ni meritas reprimat deuota precatio pœnas.  
Inq̄ salutarem vita reducta viam.  
Hicce triumphamus, solis his vincimus armis,  
Fallitur, humana m̄ quisquis adorat opem.  
Christe, supra cœlos qui sceptra thronumq̄ locasti,  
Regnaq̄ rex regum sub pede cuncta tenes.  
Ut quæ parta tibi precioso sanguine, victor  
Sustentata manu membra potente regas.  
Surge tuam vindex iustissimus assere caussam,  
In tua blasphemum numina perde gregem.  
Ac patria clemens nostri bonitate misertus  
Vulnera distracti corporis ægra foue.  
Et quia fata nimis cumulamus atrocia, pœnam,  
Si qua manet stricto iure ferenda, leua.  
Ne rabies intrans Germanas Turcica terras  
Barbarie vastet templa, theatra, scholas.  
Sit tibi posteritas sit curæ innoxia pubes,  
Gloria sit curæ nominis alta tui.  
Ne Sodomæ facti similes lustrisq̄ Gomorras  
Opprobrij̄ simus fabula plena Getis.  
Semen at in patria sanctum regione superstes  
Nominis in laudes seruiat omne tui.

EPITAS

*Q 111 e / 301*

**EPITAPHIVM  
JLLVSTRISSIMI PRINCI-  
PIS AC DOMINI, DOMINI VVOLE,  
GANGI PRINCIPIS ANHALDINI, COM-  
tis Ascaniæ, ac Domini Bernburgi  
& Seruestæ.**

*X 1762 868*


**C**Larus Anhaldina VVolfgangus origine Princeps,  
Ascaniæ fulcrum præsidiumq; domus.  
Hac tumulatus humo post fata suprema quiescens,  
In terram puluis, prodiit unde, redit.  
Cui syncera fuit pietas ante omnia curæ,  
Inq; Ministerium non simulatus amor.  
Iustitiam constans & pace colebat & armis,  
Consilio promptus non minus atq; manu.  
Ut sine respectu leges & iura secutus  
Cuiq; suo prudens cederet æqua loco.  
Supplicibus mitis, contraq; immitibus asper,  
Tardior ad pœnas, quam benefacta tamen.  
Munificum pectus testantur templa scholæq;  
Et quæ pauperibus dona benigna dedit.  
Lustra decem regni cum quartuor auxerat annis,  
Sponte gubernandi depositurus onus.  
Sceptra dedit fratribus concessa nepotibus, ipse  
AEtatis reliquum contulit omne Deo.  
Triste leuans senium sanctorum indagine rerum,  
Facta probans digna fruge secuta fidem.  
Quinq; ferè decies ubi uitæ lustra peregit,  
Finijt æterna fata quiete senex.  
**Tu Deus, Ascanio reliquos è stemmate fratres,**  
**Vt faciant populis & tibi grata, rege,**

**F I N I S.**





**Farbkarte #13**



B.I.G.

R.K. 125,26.

Ye  
1302

ELEGIA  
DE STELLA PRODI-  
GIOSA, QVÆ INTERDIV-  
COELO SERENO APPARVIT VI-  
*nariæ in Duringia 28. Martij, anno 1566.*  
*Cui adiunctum est.*

EPITAPHIVM  
JLLVSTRISSIMI PRIN-  
CIPIS VVOLFGANGI  
*Anbaldini &c.*

*Autore*  
**M. FRIDERICO VVIDE,**  
**BRANDO.**

WITEBERGÆ  
EXCVDEBAT LAUREN-  
*tius Schwenck.*

1566.